

XXXIII. 1
695.
11120.

Kgl. 930909.



AD
S O L L E M N I A
CAESAREAE
VNIVERSITATIS DORPATENSIS
QVAE
QVO DIE HAEC ACADEMIA OLIM CONDITA EST
DIE XII MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXVIII
HORA XII IN AVLA MAGNA
ORATIONE
IOANNIS ENGELMANN
P. P. O.
ET
RENVNTIATIONE
VICTORVM IN ERVDITIONIS CERTAMINIBVS PRAEMIA ADEPTORVM
PVBЛИCE AGENTVR
RITE CONCELEBRANDA
DOCTORES OMNIVM ORDINVM AMPLISSIMOS ET COMMILITONES HUMANISSIMOS
ET QVICVMQVE REBVS NOSTRIS LITTERARVMQVE STVDIIS BENE VOLVNT
OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA
INVITAMVS
RECTOR ET SENATVS.

SVBIECTA EST LUDOVICI SCHWABII OBSERVATIONVM ARCHAEOLOGICARVM PARTICVL A I.
(De Cupidinis arcum tendentis atque de Harmodii et Aristogitonis statuis)


DORPATI LIVONORVM
C. MATTIESEN TYPIS DESCRIPTIS.

378(474.2)(091)

008](37+38)



3

62 550

Ar 868 B
Engelmann

Ex itineribus diuturnis, quibus 'Italiam laeti Latiumque' 'ultimosque Britannos' uisimus, ad Vos, Commilitones humanissimi, uix reuersi cum prooemiandi necessitate urgeamur, pauca quaedam in peregrinando de operibus artis antiquae non nullis obseruata Vobiscum hoc loco uolumus communicare.

I

Notissimam illam Cupidinis arcum tendentis statuam, cuius permulta exempla adhuc reliqua sunt¹⁾, qui nuper ita explicauit ut a Cupidine non tam suum ipsius

1) Notitiaṁ habeo horum exemplarium, sed non dubito quin etiam plura supersint:

- A: *uillae Albanorum prope Romam*, Clarac musée de sculpt. 644 B 1471 c; cf. Platner, beschreibung der stadt Rom III 2 501; Braun, ruinen und museen p. 640; Burckhardt, cicerone p. 468.
- B: *musei berolinensis*, olim Romae in aedibus lantianis, Friederichs, Amor mit dem bogen des Hercules. programm zum Winkelmannsfest. (Berl. 1867. 4) cum tabula; cf. Gerhard, Berlins antike bildwerke I p. 73 nr. 95, verzeichnis der marmorwerke des mus. zu Berlin nr. 159; Visconti, mus. pio-clement. I p. 20.
- C: *mus. berolinensis* (caput superest solum), cf. Gerhard, Berlins ant. bildw. I nr. 406 p. 135, verzeichnis nr. 157.
- D: *musei britannici*, ancient marbles of the brit. mus. X 21; Ellis, Townley gallery I 207; Dallaway, of statuary and sculpture (Lond. 1816) tab. 12 (cf. p. 336); Clarac, musée de sculpt. 650 B 1471 a.
- E: *mus. britannici*, anc. marbl. of the br. mus. XI 36; Clarac 650 1495 a.
- F: *musei capitolini*, mus. cap. III 24; Bouillon, musée des antiques I 20; Clarac 642 1464; Mueller-Wieseler, denkmaeler der alten kunst II 51 631 al.
- G: *mus. carlisliani*, Clarac 650 c. 1471 b.
- H: *mus. demidouiani*, Clarac 650 1491.
- I: *mus. despuigiani*, prope Palmam in insularum balearium maiore, cf. Huebner, antike bildwerke in Madrid nr. 703 p. 295.
[*mus. dresdensis* exemplar (Becker, Augsteum tab. 63) Hettner, bildwerke der antiken-sammlung zu Dresden nr. 261 p. 64 falso contulit].
- L: *mus. iustinianeī*, gall. Giustin. tab. 27; Clarac 641 1453.
- M: *mus. lateranensis*, cf. Benndorf-Schoene, die ant. bildwerke des Lat. mus. nr. 224 p. 141; Gerhard, beschreib. d. stadt Rom II 2 5 (nr. 2).

quam Herculis arcum tendi diceret, Carolus Friederichsius berolinensis ²⁾ speciose explicauit, nec tamen uere. hoc sane concedendum est in exemplarium multitudine superesse aliquot quibus conprobari posse illa sententia uideatur. ipse Friederichsius commemorauit exemplar uenetianum (*W*), in quo Cupido ad crus sinistrum fulcitur arboris trunco, ad quem pelle leonina tectum claua admittitur. sicut pellis leonina et claua non Cupidinis, sed Herculis sint, ita arcum quoque pro Herculis esse habendum. neque in uenetiano exemplari solo illa Herculis arma addita reperiuntur, id quod Helbigius arbitratus est ³⁾. namque eadem fere etiam in exemplis *D* londinensi et *R* olim claramontano, nunc petropolitano ⁴⁾ adsunt ⁵⁾.

N: *mus. parisini*, Bouillon, musée des antiques III 10 8; Clarac 282 1488.

O: *mus. parisini*, Bouillon III 10 10; Clarac 281 1489.

P: *aedium Patriciorum Romae*, cf. Welcker, neuester zuwachs des kunstmus. zu Bonn (B. 1844) p. 4, Benndorf-Schoene, die ant. bildw. des Lat. p. 141.

Q: *mus. pembrokiani*, Clarac 650 1495; cf. Ellis, Townl. gall. I 206; anc. marbl. of the br. mus. X p. 45 XI p. 67.

R: *mus. petropolitani*, olim *mus. claramontani*, cf. ermitage impérial. catalogue du musée de sculpture antique (St. Pétersbourg 1864) nr. 342 p. 69, cf. Gerhard, beschreib. d. st. Rom II 2 69; cf. infra not. 4.

S: *F. Thierschii quod Romae emit*, cf. eius reisen in Italien I (Lips. 1826) p. 236.

T: *musei claramontani in aedibus uaticanis*, cf. Museo Chiaramonti. indicazione antiquaria p. 77 nr. 495; Braun, ruinen und museen p. 276; Burckhardt, cicerone p. 468.

U: *mus. claramontani*, cf. Gerhard, beschreibung der stadt Rom II 2 81; Mus. Chiaram. indic. ant. nr. 653 p. 102.

V: *porticus uasorum et candelabrorum in aedibus uaticanis*, cf. Mus. Pio-Clementino. indic. antiq. (Roma 1867) p. 171 nr. 122.

W: *mus. uenetiani in aedibus S. Marci*, Clarac 651 1485; cf. Thiersch, reisen in Italien I 236; Friederichs, bausteine zur geschichte der griech. plastik p. 348.

X: *musei worsleiani*, Visconti, museo worsl. tb. 19, 1; Dallaway 1. c. tb. 13 (cf. p. 352).

2) in libello quem in adnot. 1 ad litteram *B* nominaui et in libro qui inscriptus est bau-steine zur gesch. der gr. röm. plastik (Berl. 1868) p. 348.

3) cf. bullettino dell' instit. di corrisp. archeol. 1868 p. 111.

4) cf. ermitage impérial. catalogue du musée de sculpture antique nr. 342 p. 69: *Cupidon tenant l'arc: a côté de lui un tronc d'arbre recouvert de la peau du lion. réplique fort restaurée d'un original perdu . . . cette statue trouvée en 1828 à Rome près de Saint Jean de Latran et conservée jusqu'en 1851 au musée Chiaramonti, fut envoyée à l'empereur Nicolas I par le pape Pie IX*. ueri est simillimum hunc Cupidinem eundem esse atque is qui a Gerhardo in Bunsenii aliorumque descriptione urbis Romae II 2 69 hisce uerbis commemoratus est: nr. 491 *bogenspannender Amor ohne kopf und arme, eine sehr gute öfters wiederholte figur, neben ihr die keule und löwenhaut des Hercules*. quae in catalogo petropolitano leguntur de Cupidinis illius inuentione uera esse non possunt. statua petropolitana ex museo claramontano, ubi exemplum a Gerhardo descriptum hodie frustra quaeritur, uero quidem desumpta est, sed eadem prope aedem lateranensem anno 1828 effossa non est: repertus est quidem anno illo illoque loco Cupido arcum tendens, quem supra littera *T* insigniui, sed ille non Petropolim missus hodie eundem fere locum in museo claramontano occupat quem olim Cupido nunc petropolitanus tenuit. cf. *mus. Chiaramonti. indic. antiq. (Roma 1865)*: nr. 495: *Cupido*

His exemplis consideratis ueri simile est artificem qui arma Herculis adderet repraesentare Cupidinem arcui Herculis intentum eumque adsimulare uoluisse illis Cupidinibus arma herculea per iocum tractantibus, quorum permultae item imagines ad nostra tempora peruererunt. itaque Friederichsio adsentior contra marmorum antiquorum musei britannici enarratorem⁶⁾, contra Ussingium⁷⁾ et Helbigum⁸⁾, qui armis Herculis additis Cupidinem talem fere designatum censem qui Herculem olim uicerit. at haec commemorationis Herculis a Cupidine domiti in Cupidine suum arcum tendente satis otiosa est, immo inepta, uel ideo quod illa insignia Herculis, sicut claua (in *W[R?]*) uel pharetra (in *D*) uel pellis leonina (in *WDR*), rem quade agitur principalem obscurant, non illustrant. — Sed num ex illo Cupidine Herculis arcum tendente, quem Friederichsio concessimus, continuo cum eodem Friederichsio concludi licet in archetypo quoque statuarum tot quae supersunt olim celeberrimo — nam celeberrimum fuisse multitudo exemplarum inde expressorum docet — insignia Herculis adfuisse, indeque etiam archetypi explicationem stabilitam esse? equidem nego ex parergis illis herculeis de genuina statuae significatione quicquam conligi posse. namque praeter id genus signorum quod adhuc adumbraui, alterum extat, in quo Cupido arbore, aut nuda aut unde pharetra dependet, fulcit, nec tamen claua et pellis leonina comparent. quo ex genere sunt exempla *AFH* (in hoc sola pharetra pro fultura est) *LМОTX*⁹⁾. iam quaeritur utrum adminiculum magis sit genuinum? utro sit utendum ad archetypi formam reciperandam? herculeo an non herculeo? Friederichsius pro illo stat. equidem neutrum aio in archetypo fuisse cum Braunio¹⁰⁾ et Helbigio consentiens. ipsa illa

statua in atto di tender l'arco ... fu trovato in più pezzi colla propria testa l'anno 1828 al Laterano, e propriamente nell' orto contiguo alla chiesa di S. Giovanni in Fonte, col Tito e la Giulia posti nel nuovo braccio Nr. 26 et Nr. 111. praeterea statuam nunc petropolitanam ante annum 1828 in museo claramontano fuisse uel eius commemorationis Gerhardi docet, quippe qui museum uaticanum iam anno 1826 descripsit. et ne quis commemorationem statuis illis apud lateranensem aedem a. 1828 effossis suppletam esse opinetur — prodidit enim illud descriptionis volumen anno demum 1834 — sufficit adnotare non magis quam huius statuae lateranensis in indice gerhardiano operum simul repertorum, Titi imperatoris et Iuliae eius filiae statuarum nunc item in museo uaticano expositarum, mentionem fieri. denique, si indicia quaedam recte me ducunt, archetypum imaginis quam Cupidinis petropolitani dedit Claracius sibi procurasse Romae tum uidetur, cum iam Cupidinis illius ut pote Petropolim mittendi caput brachia alia reposita essent.

5) etiam in exemplo *B* berolinensi arma Herculis comparent, sed addita ab artifice recentiore fide carent.

6) cf. anc. marbl. X p. 46.

7) cf. oversigt over det kgl. danske vidensk. selsk. forhandl. april 1863 p. 6.

8) bullettino dell' inst. 1868 p. 111.

9) etiam exempla *EGNQ* sunt ex hoc genere, sed in his adminicula illa temporibus recentioribus adposita esse aut certum aut probabile est.

10) ruinen und museen Roms p. 276.

diuersitas mihi documento est parerga quae dixi ab archetypo aliena et postea demum addita esse ab imitatoribus diuersis diuersa ratione illud imitatis. quae parerga sine ullo signi detrimento non modo non omitti, sed sine maximo incommodo ne adesse quidem potuerunt. et enim archetypum huius statuae ex aere fuit, id quod post Henricum Meyerum ¹¹⁾ Braunius Helbigius, immo Friederichsius ¹²⁾ ipse adgnouerunt: qua de re, ut mihi quidem uidetur, minime licet dubitare ¹³⁾. omnia in hoc simulacro pro aere clamant, recusant marmor. quis iam non uidet signum aeneum omnino caruisse illis parergis? quae tum demum addita sunt cum opus ex aere in marmor trans ferretur. quod cum ab artificibus diuersis fieret, quid mirum, si adminiculorum, quae in opere marmoreo necessaria erant, diuersa genera adhibebantur. ergo Cupidinis archetypum fulturae fuit expers. iam uidete quam bene hac cum ratiocinatione id conspiret quod in duabus gemmis, altera petropolitana, altera berolinensi, quibus idem ille Cupido incisus est, quibusque Friederichsius ad habitum Cupidinis pristinum inueniendum primus usus est ¹⁴⁾, nihil adminiculi adparet. itaque armis herculeis ad statuae significationem propriam et genuinam eruendam abuti non licet. quae si uera sunt, aliud quoque patet: si arma illa Herculis in archetypo non fuerunt, nulla prorsus caussa adest cur ab Cupidine non suum sed Herculis arcum tendi credamus. quis enim Cupidinem arcum tendentem uisens dubitauerit quin is suum tendat arcum, nisi rebus externis et aduenticiis, ut pelle illa leonina, simul edoceatur rem de alterius arcu agi?

At Friederichsius alia non nulla argumenta attulit quibus sententiam suam defendat. miratus quod Cupido ‘tantauirum contentionē’ arcum tendat inde conligit arcum non eius esse, sed alius. dicit Herculis. proprium enim arcum ab eo cuius sit facile tendi. Haec non ita ut Helbigius fecit refellam, qui rem ipsam concessam excusauit negans sine uirium contentionē maiore arcum tendi posse: ego potius nego quicquam nimiae contentionis in corpore Cupidinis adgnosci. nec rixari opus est quid sit parum, quid nimium in hac re. nam manifestissima indicia extant Cupidinem in arcu tendendo studio non ita magno laborare. quid enim? nonne qui manibus pedibusque ut aiunt obnixe facit aliquam rem, in eam animum quoque quam maxime intendit? sed Cupido is qui hoc signo repraesentatur non omnes neruos intendit — id quod par esset, si puer ille herois omnium ualentissimi arcum tendere conaretur — sed commode arcum tendens aliud agit, id quod, ut unum solum indicium adferam, capitis habitus aperte docet ¹⁵⁾. multo rectius quam Friederichsius hac de re Ussin-

11) ad Winkelmanni opp. V 573; VI 2 152.

12) bausteine z. gesch. d. gr. röm. plastik p. 351.

13) Ussingius solus quod sciām l. c. p. 2 archetypū marmoreū defendit.

14) cf. Amor mit dem bogen des Hercules p. 4, ubi gemma utraque imagine redditā est.

15) quae dico eo non refutantur quod in exemplis paucissimis Cupidinis oculos ad arcum demissos uidemus.

gius¹⁶⁾ iudicauit, qui adfirmando neque ullum neruum tentum in corpore Cupidinis expressum esse neque minimum ullius contentionis indicium conspici neque hunc Cupidinem in arcu tendendo uersari — etsi errauit, tamen uerissime uidit Cupidinem in eo positum esse statu ut ictum sagittae praeparans destinatum aliquid oculis petat, beneque sensit ingenuam operis elegantiam.

Nec magis ualent quae Friederichsius de arcu maiore quam ut Cupidinis esse possit dixit. extant sane in exemplis non nullis arcus maiores¹⁷⁾: num uero fidem illi ullam merentur, quoniam paene omnia exempla temporum iniuria truncata bracchiis cum arcu antiquis carent? in quibus reficiendis artificibus recentioribus licentia maxima data fuit. unum solum quod sciam exemplar extat adhuc non satis aestimatum, cuius bracchia cum arcu integra ex antiquitate seruata sunt, londinense *D*, cuius tamen arcus usitatam magnitudinem omnino non excedit. praeterea idem in gemmis eis quas supra commemorauit uidere licet, quarum ex imaginibus nemo profecto Herculis arcum a Cupidine tendi conligat.

Censemus igitur hanc fere fuisse simulacri huius historiam. artifex graecus nescio quis, Alexandro Magno fere aequalis, si non Lysippus ipse, ‘Lysippi sectae’ tamen ‘prior’¹⁸⁾ ex aere archetypon signi quod tractamus fecit. finxit Cupidinem qui scopo sibi

16) l. c. p. 4.

17) ueluti *B F H.*

18) Thespiis Lysippi signum quoddam Cupidinis aeneum extitisse ex Pausania (VIII 27 3) constat. sed parum traditum est, quam ut quicquam conici possit de conexu quodam inter illum thespensem et eum cuius exempla nunc tractamus. idem dicendum est de Cupidine illo thespensi Praxitelis quem olim pro archetypo Cupidinis arcum tendentis falso habuerunt. cuius quoniam mentio hoc loco facta sit, breuiter adnotare uolumus maximam illam laudem Cupidinis thespensis, Thespias neminem nisi Cupidinis caussa uisere, uni Ciceroni deberi, cuius uerbis usi alii laudem illam propagauerunt. Cicero enim accusationis in Verrem IIII 2 4 *idem* inquit *artifex* (Praxiteles) *eius modi Cupidinem fecit illum qui est Thespiis, propter quem Thespiae uisuntur: nam alia uisendi causa nulla est.* ex hoc loco, cuius uerba fere retinuit, sine dubio Strabo hausit haec (VIII 2 25 p. 410): αἱ δὲ θεσπιαὶ πρότερον μὲν ἐγνωρίζοντο διὰ τὸν Ἐρωτα τὸν Πραξιτέλους, δν ἔγκυψε κτλ. ... πρότερον μὲν οὖν διφύενοι τὸν Ἐρωτά τινες ἀνέβαινον ἐπὶ τὴν θέσπειαν ἄλλως οὐδὲν οὖσαν ἀξιοθέατον, νῦν δὲ μόνη συνέστηκε τῶν βοιωτακῶν πόλεων καὶ Τάναγρα. τῶν δὲ ἄλλων ἐρέπια καὶ δυόματα λέλεπται. illo uocabulo πρότερον Strabo tempora Ciceronis huius ipsum illud testimonium spectans designat. significat suo quidem tempore Thespias cum Cupidine Praxitelis neglegi, sed prius, h. e. Ciceronis aetate, Thespias propter Cupidinem illum notas fuisse (ἐγνωρίζοντο = γνώριμαι ἥσαν): quae cauendum ne quis ita interpretetur quasi Strabo de Cupidine illo loquatur olim Thespis adseruato, sed suo tempore illinc direpto. et enim Gaius demum Caesar (Caligula) illum Cupidinem Thespiis remouit (Paus. VIII 27 3), quo tempore Strabo iam decem amplius annos mortuus fuit. praeterea uide quam sobrie ac prudenter Strabo ex oratoria superlatione Ciceronis propter quem Thespiae uisuntur modicum illud τωὲς ἀνέβαινον ἐπὶ τὴν θέσπειαν eruit, quo Eustathius ad Il. p. 215 9 Strabonis locum excribens non contentus pro τωὲς scripsit πολλοῖ. etiam Plinium ex Cicerone sumpsisse quae dixit HN XXXVI 22 ipsis eius uerbis manifestum est: (Praxitelis) est et Cupido obiectus a Cicerone Verri, ille propter quem Thespiae uisebantur, nunc in Octaviae scholis positus. denique interpolator

proposito arcum suum tenderet. quae statua propter elegantiam et uenustatem famam maximam nacta cum exemplaribus marmoreis saepe exprimeretur, ab imitatoribus quo firmius opera lapidea statuerentur adminicula aliqua addita sunt. unde duplex genus discerni potest: alios uidemus arboris truncum addidisse, plerumque cum pharetra, quae Cupidini arcum tendenti maxime apta uideri potuit. contra alii non contenti simplicitate ingenua operis illius eam quodam modo interpolauerunt. namque nouum acumen captantes armis Herculis additis Herculis uictorem efficere studuerunt Cupidinem, inuita tamen, ut uidimus, Minerua.

In eis quae adhuc diximus pro certo habuimus tendi arcum a Cupidine. sententia ab Henrico Meyero¹⁹⁾ olim prolata, arcum non tam tendi quam eius flexibilitatem examinari, est quasi refugium quoddam uiri doctissimi iure desperantis eo quem exempla plurima praebent manuum habitu arcum tendi posse. etiam quod Ussingius²⁰⁾ proposuit reiciendum est, Cupidinem non in eo esse ut arcum tendat, sed arcum tenere iam tensum prius quam eo utatur eodem fere habitu quo modo eum tetenderit. neminem fugiet quam haec sint artificiosa et a signi uenusta simplicitate abhorreant, simulque quam parum efficax temporis momentum sit quod redditum esse ab artifice Ussingius opinatur. quod simplicissimum est, sine dubio est optimum, dum modo intellegamus qua ratione Cupido arcum tendat. atque in hac quaestione uerum uidit Friederichsius adiutus gemmis illis quas iam saepius commemorauit. res ita se habet: Cupido, dum cornu inferius crure dextro opposito et cornu superius manum dextram obnixus reprimit, media parte ad pectus adducta arcum tantum curuat ut nerui in cornu inferiore adligati laqueum digitis ultimis dextrae manus prehensum et admotum cornui superiori inicere possit. — Quae Friederichsius gemmis examinatis inuenit, optime confirmantur statua una, cuius solius — id quod cum alios uiros doctos tum Friederichsum fugit — bracchia cum arcu ex antiquitate forte fortuna seruata sunt. dico exemplar *D* londinense, quod sub finem saeculi proximi in Etruria prope lacum sabatinum in magna quadam amphora reconditum repertum est²¹⁾. bracchia sunt

quidam uerbis illis ciceronianis ad aliud locum Ciceronis corrumpendum usus est. et enim in eis quae in eiusdem Verrinae 60 § 135 leguntur *quid Thespienses, ut Cupidinis signum, [propter quod unum uisuntur Thespiae]* uerba inclusa subditicia esse Bakius Halmius Richterus rectissime uiderunt.

19) ad Winkelm. opp. VI 2 152. 195.

20) l. c. p. 3. 4.

21) praeter imagines huius signi quatuor quas supra in adnot. 1 enumeraui exemplum arte photographi expressum praclarum mihi praesto est. non inutile erit hoc loco excrivere quae Hancarullius (recherches sur l' origine I 345) de illo Cupidine scripsit: *la copie dans la collection de Mr. C. Townley est beaucoup moins grande que toutes les autres; on l'a trouvée près du lac de Bracciano, dans les ruines d'un edifice très considérable. comme elle étoit renfermée dans un vase de terre, elle a conservé tout le poli qu'elle eut en sortant des mains de l'artiste.*

fracta quidem locis non nullis, sed omnia sunt genuina et certa. quisque adgnoscet quam simillimus sit habitus bracchiorum et in primis manus dextrae imaginibus gemmarum illarum. neruum arcus additum esse nemo statuariae artis marmoreae peritus et memor qua nam ratione artifices antiqui parerga talia tractauerint expectabit.

Itaque artifex, qui olim hoc opus egregium fecit, Cupidinem eodem fere statu re praesentauit quem Ouidius²²⁾ hisce uersibus eleganter descriptis:

*ille (Cupido) pharetram
soluit et arbitrio matris de mille sagittis
unam se posuit, sed qua nec acutior ulla
nec minus incerta est, nec quae magis audiat arcus.
opposito que genu curuauit flexible cornu:
inque cor hamata percussit arundine Ditem.*

II

Harmodium et Aristogitonem, tyrannicidas illos celeberrimos, Athenis olim statuis honoratos fuisse testimonii scriptorum ueterum constat: sed nemo cogitauit nobis imagines illarum relictas esse, donec Otto ab Stackelberg²³⁾, magnum illud harum terrarum decus, uir de studio artium graecarum optime meritus, duplum nobis signorum illorum imitationem seruatam esse, alteram in nummo quodam atheniensi²⁴⁾, alteram in latere altero sellae cuiusdam item atheniensi²⁵⁾, demonstraret. postea Friederichsius²⁶⁾ eosdem heroas in statuis duabus neapolitanis²⁷⁾ adgnouit. denique nuperrime Otto Benndorfius²⁸⁾ par quoddam statuarum Florentiae in hortis bobolitanis

mais pour la faire entrer dans ce vase on a été obligé de lui ôter les ailes et même de lui casser les pieds, qui se sont trouvés près d'elle avec la base et l'appui qui la soutenoient: n' ayant pas été garanties comme le reste de la statue, ces parties n' ont pas conservé le même poli et sont plus touchées par les sels de la terre, dans laquelle on les avoit mises.

22) metam. V 379.

23) cf. graeber der Hellenen p. 33.

24) quem delineatum inuenies apud Stackelbergium l. e., Ouerbeckium, gesch. der gr. plastik I 113, Beuleum monnaies d'Athènes p. 335, in archaeol. ztg. 1859 tb. CXXVII 4, mon. ined. dell' inst. d. corr. arch. VIII 46 1, cf. etiam Mionnet, description II 125 nr. 144.

25) quod delineatum est apud Stackelbergium, Ouerbeckium l. c. arch. ztg. 1859 tv. CXXVII 3, mon. dell' inst. VIII 46 2, denique (sed non sine interpolatione) apud O. Jah-nium, aus der alterthumswissenschaft (Bonn 1868) p. 211.

26) cf. archaeol. zeitung 1859 p. 65.

27) mus. borbon. VIII 7. 8, Clarac musée de sculpture 870 2203a 869 2202, arch. ztg. 1859 tb. CXXVII 1 2, monum. dell' instit. VIII 46 3—4.

28) cf. annali dell' instituto di corrispondenza archeologica XXXVIII (1867), 304.

regiis nunc conlocatum ²⁹⁾ eodem rettulit. — Sed praeterea aliud exemplum illarum statuarum ualde memorabile nuper innotuit, quod hac data occasione paullo accuratius describam quam adhuc quod sciam factum est. hoc quod dico exemplum W. Watkissius Lloydius, cuius epistulam quandam de hac re ad se scriptam Gerhardus in actis archaeologicis berolinensibus excerptis ³⁰⁾, extare in pictura amphorae cuiusdam panathenicae primus bene perspexit, quae amphora breui ante initio anni 1866 cum aliis eiusdem modi quattuor in museum britannicum uenerat. quorum uasorum primum ex Newtonii litteris anno 1866 ³¹⁾, deinde nuperrime ex relationibus publicis senatus britannico de museo britannico per annum 1866 adacto datis in eisdem diariis illis berolinensibus ³²⁾ breuis commemoratio facta est, denique paucula de uasis illis inueniuntur in libello qui in gratiam museum britannicum adeuntium conscriptus est ³³⁾.

Georgius Dennisius, vir libro quem de Etruria uetere scripsit optime cognitus, mercaturaे Britannorum procurator in regionis cyrenaicae urbe olim Euhesperitarum, quae postea Berenice adpellabatur, (hodie *Benghazi*), anno 1865 extremo sepulcreta Teuchirae urbis uicinae (hodie *Tokra*) perscrutatus quinque amphoras nunc Londini in museo britannico expositas inuenit, omnes eius generis quod nomine uasorum panatheniacorum designare solemus. his quinque amphoris Londini sexta adposita est eiusdem generis, quam in eadem regione apud Ptolemaida urbem a. 1856 F. H. Werryus, rerum britannicarum tum procurator tunesius ³⁴⁾, repperit.

29) mon. dell' inst. VIII 46 5—8. P. Peruanoglus statuam quandam nunc atheniensem alteri neapolitanae habitu similem esse Harmodii — uoluit Aristogitonis dicere — arbitratus (ann. dell' inst. 1866 p. 273 cum tab. P. 3) errasse uidetur; cf. etiam R. Kekulé, die antiken bildwerke im Theseion zu Athen (Leipz. 1869) p. 13.

30) cf. archaeol. ztg. 1867 p. 4* et 56*: aus einem briefe des herrn W. Watkiss Lloyd erfährt man dasz die bei Stackelberg auf Harmodius und Aristogiton gedeutete gruppe auch als emblem eines Minervenschildes auf einer der neu entdeckten panathenäischen vasen aus Teuchira sich vorgefunden habe.

31) cf. arch. ztg. 1866 p. 246*.

32) cf. archaeolog. ztg. 1869 pag. 33: gegen das ende des jahres 1865 veranstaltete Hr. Dennis, der englische consul zu Bengazi, ausgrabungen auf den alten kirchhöfen von Teuchira und Ptolemais. das ergebnis seiner bemühungen waren eine anzahl amphoren, deren eine den namen des athenischen archonten Polyzelos, eine andere den namen des töpfers Killos trägt; auf der einen vase zeigt der schild der Athene die figuren des Harmodius und Aristogiton.

33) cf. British Museum. a guide to the exhibition rooms of the departments of natural history and antiquities. London 1869. 8. p. 114 Six panathenaic amphorae. on the obverse of these vases is represented Pallas Athene Promachos, wearing an embroidered peplos and treated according to an ancient hieratic type. on the reverse chariot races and other athletic contests. on the centre vase (table case G) the group of Harmodius and Aristogiton is painted on the shield of Athene. these vases are of great rarity and are of special interest to the student of art, because their dates can be fixed by the names of the archons inscribed of them.

34) cf. F. ab Pulsky, arch. ztg. 1856 p. 271*; S. Birch, arch. ztg. 1857 p. 7*; Welcker, ann. dell' inst. 1857 p. 199.

Harum amphorarum unam, ut iam diximus, eam quae imaginibus tyrannicidae utriusque insignis est, paullo accuratius describere nobis sumpsimus. uas, cuius in creta rufa figurae colore nigro pictae sunt, altitudinem habet LXX fere centimetrorum et latitudinem, qua maxima est, XXXV fere centimetrorum. in parte postica iuuenes duo sene adstante ludis gymnicis utuntur. in parte antica Minerua conspicitur sinistrorum gradiens, uestem pictura uariegatam induta, clipeo et casside alta armata, hastam manu dextra uibrans. utrimque columella est cum capitulo, cui gallus insidet. in clipeo Mineruae medio, qui colore nigro pictus est, uelut insigne quoddam tyrannicidarum amborum imagines ea mensura sunt colore albo super pictae ut singuli quinque fere centimetrorum altitudinem habeant. hae imagunculae ualde perspicue, at tamen, ut rei natura fert, non diligentius sunt elaboratae. Harmodius et Aristogito ambo sinistrorum (ut in nummo athenensi) conuertuntur. stat alter paullo post alterum. anterior Aristogito, qui bracchium sinistrum, unde chlamys dependet, longe protendit, a tergo conspicitur. in pugno sinistro tenet aliquid, ut mihi uidetur uaginam gladii, quem bracchio ad corpus demisso in manu dextra stringit, sed qui, ut ex hominis statu quem descripti clarum est, conspici nequit. habitus bracchii dextri simillimus est bracchio dextro Aristogitonis qualis est in sella athenensi, praeterquam quod in amphora teuchirensi bracchium in ulna paullo magis curuatum est, ita ut manus cum gladio dextra corpore interiecto tecta oculis Aristogitonem a tergo contemplantium subiecta non sit. uix post Aristogitonem ad eius latus dextrum stat Harmodius ut ille maximo gradu sinistrorum tendens. crura utriusque hominis sunt eiusdem fere status: alterum in gradiendo prius (Aristogitonis sinistrum, dextrum Harmodii) in genu magis est curuatum quam alterum posterius neruis contentis retro quasi repulsum. Harmodii imago a latere sinistro oblique ostensa est, uti in nummo athenensi. eius bracchium dextrum gladio armatum in ulna quam maxime recuruatum super caput adeo eleuatum est ut gladius pone cernuices et terga iuuenis cuspide deorsum derecta reclinetur, eadem fere ratione — ut exemplo utar — qua in sarcophago illo amendolano³⁵⁾ unus ex Gallis cernitur ictum uehementissimum parans. hac igitur in re amphorae imago neque cum sellae neque cum nummi imagine conuenit. contra bracchium Harmodii sinistrum cum manu in pugnum compressa reiectum imagunculae nummi simillimum est. denique adnotemus unum quod in ceteris exemplaribus non cernitur, chlamyda breuem post bracchium Harmodii sinistrum, quae propter iuuenis motum celerem retrorsum fluitat.

Quam similis sit haec uasis imago ceteris exemplis illarum statuarum per se patet: nemo negabit insigne illud clipei Mineruae ad idem archetypum esse referendum unde imagines sellae et nummi quas nominaui deriuatae sunt: nihilo minus discrimina adsunt praeter leuiora illa, de quibus iam diximus, non nulla quae paullo accuratius tractanda sunt.

35) cf. mon. dell' inst. d. corr. archeol. I 30.

In sella imagines tyrannicidarum dextrorum, sed sinistrorum in nummo neque aliter in amphora conuersae sunt: haec differentia sat memorabilis ex loci diuersitate, qua in illis statuis (quippe quae *ζῷα περιφανῆ* essent) delineandis artifices exemplorum diuersorum usi sunt, iam pridem sagaciter explicata est: sed ne hac explicatione probata quidem omnes difficultates sunt remotae.

In nummo item ut in amphora utriusque uiri prior est Aristogito, posterior Harmodius: sed hoc interest quod in nummo Harmodius ad sinistrum latus Aristogitonis stat, contra in amphora ad eius dextrum latus. uerum in sella anterior Harmodius est, ad sinistrum comitis latus ut in nummo conlocatus. denique statuas neapolitanas Friederichsius ita coniunxit et composuit ut utriusque herois dextrorum (dextrorum ex ratione eorum qui statuas contemplantur) tendentis anteriorem faceret Harmodium, cuius lateri dextro Aristogito proxime adhaeret. sunt igitur hae statuae a Friederichsio ita inter se coniunctae simillimae imagini illi sellae. — Sed nisi me coniectura fallit, neque sellae neque nummi opus prostypum neque restitutio friedrichiana ueram statuarum illarum celeberrimarum repraesentant imaginem. et enim quam maxime in tribus quae significaui exemplis hoc displicet quod in omnibus pugnatores ambo ita statuti sunt ut neuter neutri commode succurrere possit in periculo. Friederichsius bene quidem sensit quod differat inter utriusque hominis habitum: Aristogito, uir natu maior, sodalem annis minorem, cui honorem tyranni gladio interimendi concedit, tueri conatur paratus omne periculum ab illo arcere simulque eum in adgrediendo tyranno adiuuare. at quo pacto hoc Aristogito bene facere potest, eo quem ante oculos habemus statu, in Harmodii latere dextro conlocatus? quo nec uidere potest num quid Harmodio accidat, nisi super bracchium suum elatum oculis obliquis sinistrorum speculatus, neque si quid acciderit, prompte auxilium ferre potest? quo statu utriusque uiri pectus apertum et indefensum hosti praebetur? contra omnia optime se habebunt, si Aristogito ad latus Harmodii sinistrum statutus fuerit. iam profecto Aristogito, qui, ut Pacuui poetae uerbis utar, ‘chlamyde clupeat bracchium’, paratissimus esse potest Harmodium defendere ac tueri. quae cum ita sint, puto ueram et genuinam utriusque statuae coniunctionem sernatam esse in pictura uasis, in qua, ut dixi, ab Harmodii latere sinistro hunc passu fere dimidio praegredientem Aristogitonem uidemus. neque quicquam impedit quo minus eadem ratione statuae neapolitanae conponantur.

Is qui statuas ita conpositas adspicit ea ex parte qua sibi adspicienti dextrorum incedere uidentur, qua Aristogito pectore aduerso, sed Harmodius obliquo corpore conlocatus a dextro latere oculis praebetur, elegit eum spectandi locum unde artifex statuarum harum opus suum spectari quam maxime uoluit. contra qui statuas ab eo loco contemplatur quo sibi sinistrorum tendere uidentur, quo Aristogitonem a tergo et Harmodium a latere sinistro cernit, eum locum tenet quo pictor amphorae londinensis in statuis delineandis usus est. Quaesiuerit fortasse quispiam cur pictor partem non principalem

statuarum oculis spectantium proponere praetulerit. res est clarissima. et enim pictor, qui morem in his uasis antiquitus traditum secutus Mineruam contemplanti sinistrorum conuersam pinxerat, nullo modo tyrannicidas in huius clipeo in contrarium incidentes facere potuit: potius ita ei adumbrandi erant ut iuuenum par eodem quo Minerua ire uideretur. itaque pictor fecit.

Haec cum dico bene scio cetera exempla cum hac operis illius celeberrimi restituzione non plane consentire: quae differentia quo modo est explicanda? utrum ea ex neglegentia quadam orta est? an (ut praecipiam infra commemoranda³⁶⁾) inde deriuanda quod in amphorae pictura Antenoris tyrannicidae, contra in sellae et nummi opusculis prostypis tyrannicidae Critii expressi sint? equidem ex socordia discrimina illa puto orta esse, quae sententia ne iusto audacior aestimetur, tenendum est nullum ex tribus quae cognouimus exemplis cum alio plane conspirare. exempla sellae et nummorum inter se eo concordia sunt quod in utroque Aristogito ad latus dextrum Harmodii incedit, contra differunt quod in sellae exemplo Aristogito posterior est, sed prior in nummorum: hoc item ut in amphora teuchirensi. deinde in imagine sellae displicet Harmodium ab Aristogitone aut Aristogitonem ab Harmodio maximam partem tegi, siue quis hac siue illa ex parte opus uisit. denique obseruandum est in exemplo nummi quod quidem Beuleius edidit non crus Harmodii dextrum, sed sinistrum in gradiendo esse anterius.

Cóntra omnia praeclara in pictura uasis. Aristogitonem utriusque tyrannicidae esse anteriorem quis mirabitur reputans ab eo potissimum, si Thucydidem³⁷⁾ audimus qui hanc rem data opera rettulit, tyrannorum mortem esse paratam? nonne praeterea locus ille conuenit quam maxime ei qui Harmodii ἐραστής fuit³⁸⁾? is loco periculosisimo sibi electo ictum mortiferum concessit socio, qui sororis suae ex pompa quadam reiectione ab Hipparcho tyrranno altero grauiter uiolatus erat.

Supra dixi Aristogitonem, qualem in amphora teuchirensi depictum uidemus, in manu porrecta sinistra aliquid tenere, quod mihi uidebatur esse gladii uagina. quam ad explicationem confirmandam argumenta alia in promptu sunt. in eo enim nummi atheniensis exemplo quod Stackelbergius et post eum alii³⁹⁾ publicauerunt supra pugnum Aristogitonis circulus paruulus quidam adparet, quem mihi quidem certum est pro indicio uaginæ ipsum quoque habendum esse: quod eo lubentius credo, cum in altero eiusdem nummi exemplo quod Beuleius⁴⁰⁾ edidit manifestum sit ab Aristogitone

36) cf. infra p. 16.

37) Thucyd. VI 54 sqq.

38) cf. Thucyd. I. c. Αριστογείτων ἐραστής ὁ εγεν Αρμόδιον.

39) cf. supra adnot. 24.

40) monnaies d'Athènes p. 335.

rem aliquam teneri manu sinistra utrumque ex pugno extantem, sed inaequaliter ita ut pars maior infra manum promineat. haec est sine dubio uagina: falsissimeque Beuleius de arcu cogitauit, cuius a forma illa res ualde differt. — At si Aristogito cum uagina fuit, num carere ea potuit Harmodius? etsi non dubito quin carere potuerit — tamen non caruit, ut ex Harmodii statua neapolitana configimus, cui olim, id quod ex apertissimis uestigiis adhuc uidere licet, balteus cum uagina ex aere additus fuit ⁴¹⁾). contra neque in exemplo sellae atheniensis neque in statua altera neapolitana Aristogito uagina gladii instructus est. hoc tamen ea quae aliorum exemplorum ratione habita inuenimus infringi non possunt. namque primum artificem qui opere protypo sellam illam ornauit etiam in aliis rebus deprehendimus non satis accurate imitatum esse archetypon: deinde manus sinistra Aristogitonis neapolitani facta est ab artifice recentiore. contra bracchii quod restat cum chlamyde inde dependente, cuius rugae sinusque duriores et inelegantes nos artis uetustioris admonent, antiquum est: quod propter Mineruinum ⁴²⁾ et Friederichsium ⁴³⁾ dico adfirmantes bracchium totum recens additum esse. rectius Benndorfius solam manum restitutori operis attribuit. uel similitudo maxima quae est inter chlamyda Aristogitonis neapolitani et inter chlamydias exemplorum nummi sellae amphorae commendat sententiam nostram. praeterea nullus sculptor saeculi decimi septimi, quo illa opera neapolitana reperta esse dicuntur ⁴⁴⁾, de suo inuenire posset eam chlamydis formam quam uidemus in opere neapolitano plane abhorrentem ab eis rationibus quae tum ab artificibus obseruabantur: neque erunt qui usum nummi atheniensis sculptori illius temporis italicico concedant.

Eis quae adhuc exposuimus pauca de uasis ceteris teuchirensibus et ptolemensibus quae supra commemorauit addere liceat, ratione habita uasorum similium quae prius in illis regionibus reperta sunt. Londini sunt addito eo quod modo accuratius tractauimus uasa numero sex, omnia eiusdem formae quam receptacula olei uictoribus panathenaicis destinati habebant, omnia ornata picturis inter se simillimis ⁴⁵⁾, omnia cum inscriptione illa notissima qua uas ex certaminibus atheniensibus uenire docemur, denique omnia sex eandem artem testantur. deprehendimus facile duriusculam illam inelegantiam et austерitatē operibus temporum prisorum propriam: sed non genuinam, sed imitatione operum antiquiorum parum accurata temporibus posterioribus fucatam. hoc, quod per se satis perspicuum est, clarissime demonstratur inscriptionibus non nullis maximi momenti, quas una cum uulgaribus illis quas modo dixi hoc loco excrivere

41) Benndorf, ann. dell' inst. l. c. p. 313.

42) arch. ztg. 1859 p. 71 11.

43) bausteine p. 31.

44) cf. Benndorf, l. c. p. 312.

45) cf. supra adnot. 33.

non erit inutile. omnes horum uasorum tituli in parte principali, ubi Minerua depicta est, aut dextra aut sinistra ab illa lineis non in transuersum, sed ad perpendiculum derectis (et uasorum **B D E** quidem tituli *κιονηθόν*) inscripti sunt.

A: *uas teuchirense.* dextra legitur *ΠΟΛΥΓΙΛΑΟΣ ΑΡΧΩΝ* et sinistra *ΤΟΝ ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΟΝ*. Polyzelus Athenarum archon fuit olympiadis CIII anno II, h. e. anno 367 a. Chr. n.

B: *uas teuchirense.* dextra: *KITTOΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ*, sinistra: *ΤΟΝ ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΟΝ*. ego legi *KITTOΣ*, non *Κίλλος*, ut in diariis archaeologicis berolinensibus relatum est⁴⁶⁾. nomen *KITTOΣ* in uase quodam graeco legi Benselerus⁴⁷⁾ dicit conferri iubens Radulfi Rochetti epistulam ad Schornium datam⁴⁸⁾. quo libello ego uti non potui. in indicibus figurorum et pictorum uasorum quos Otto Jahnius et Henricus Brunnius dederunt nomen Citti non inuenitur.

C: *uas teuchirense.* sinistra: *ΤΟΝ ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΟΝ*, dextra nihil inscriptum est.

D: *uas ptolemense.* sinistra: *ΑΡΧΩΝ ΝΙΚΟΚΡΑΤΗΣ*, dextra: *ΤΩΝ ΑΘΗΝΗΘΕΝ ΑΘΛΩΝ*. qui hoc in uase nominatus est Nicocrates archon fuit olympiadis CXI anno IIII, h. e. anno 333 a. Chr. n.

E: *uas teuchirense.* sinistra: *ΑΡΧΩΝ ΕΥΘΥΚΡΙΤΟΣ*, dextra: *ΤΩΝ ΑΘΗΝΗΘΕΝ ΑΘΛΩΝ*. Euthycritus Atheniensium archon fuit olympiadis CXIII anno primo, h. e. ante Chr. n. a. 328.

F: *uas teuchirense* idem in quo tyrannicidae delineati sunt. in hoc legitur sinistra *ΤΩΝ ΑΘΗΝΗΘΕΝ ΑΘΛΩΝ*, dextra nihil.

Qui maximam similitudinem qua sex uasa haec inter se coniuncta sunt secum reputauerit, non dubitabit quin ea omnia, si non aetate eadem, at tamen eodem saeculo facta sint. simulque inscriptionibus docemur opuscula illa artis figlinae et picturae inter se consociatae quarto ante Christum saeculo adsignanda esse. sed etiam longius progredi licet, dum modo diuersa ratione scribendi in inscriptionibus illis obuia ad aetatem uasorum accuratius definiendam uti ne supersedeamus. qui enim ab hac parte inscriptiones uasorum **A** et **B** atque ab illa parte inscriptiones uasorum **D** et **E** contulerit archontum annis omissis facile uel ex scriptura cognoscet **A** et **B** prius quam **D** et **E** facta esse. in illis enim in formula quidem $\tau\tilde{\alpha}\nu \ \mathcal{A}\theta\acute{\eta}\nu\gamma\theta\varepsilon\nu \ \ddot{\alpha}\beta\lambda\omega\nu$ etiam. num seruata est ratio scribendi ueterum Atticorum, quae longas uocales γ et ω a breuibus ϵ et o non discreuit, sed in eis quae praeter formulam scripta sunt γ et ω uocales longae loco suo usurpatae sunt. contra in uasis **D** et **E** cum in formula

46) cf. supra adnot. 32.

47) Pape-Benseler, wörterbuch d. gr. eigennamen p. 666.

48) R. Rochette lettre à M. Schorn p. 14.

49) non *ΑΘΕΝΗΘΕΝ*, sicut in arch. ztg. 1857 p. 7* relatum est. iam prius F. de Pulzsky, arch. ztg. 1856 p. 271* accurate inscriptionem dederat.

illa, tum in ceteris uocabulis ubique γ et ω conparent: inde ueri simillimum est uasa D et E esse aetatis posterioris quam A et B : quocum anni archontum qui in illis sunt optime conueniunt. — Restat ut aliquid disputemus de uasis C et F , quae adhuc commemorari non potuerunt, quoniam simplicem, non duplice inscriptionem habent. quorum illud C cum inscriptione uocalibus γ et ω carente adiungimus uasis A et B , hoc uero F (i. e. amphoram quae effigies tyrannicidarum represeant), quia litteratura ionica uulgari utitur, adscribimus generi alteri D et E . quae cum ita sint, arbitramur uasa ABC priore parte saeculi a. Chr. n. quarti (a. 400—350), contra uasa DEF eiusdem posteriore parte (a. 350—300) facta esse Athenis.

Haec quae uasorum cyrenaicorum londinensium ratione habita exposuimus bene confirmantur aliis quattuor uasis panathenaicis cyrenaicis, quae item in uicinitate Berenices (*Benghazi*) reperta sunt, unum iam circa saeculi proximi initium,¹ tria reliqua nunc Parisiis adseruata nostri saeculi lustro fere decimo⁵⁰). ea sunt omnia praeter uulgare illud $\tau\tilde{\alpha}\nu \Lambda\theta\gamma\eta\theta\varepsilon\nu \ddot{\alpha}\theta\lambda\omega\nu$ nomine archontis cuiusdam athenensis insignita. itaque in singulis Theophrastus, cuius nominis et ol. CX anno I (h. e. 340 a. Chr.) et ol. CXVI anno IIII (h. e. 313 a. Chr.) archon fuit, deinde Hegesias ol. CXIII anno I (h. e. 324) et Cephisodorus eiusdem olympiadis anno II (h. e. 323), denique Archippus, cuius nominis homo et ol. CXIII anno IIII (h. e. 321) et ol. CXV anno III (h. e. 318) summum magistratum gessit, conparent. sunt igitur haec uasa illis eiusdem originis londinensibus tempore paene aequalia, ut similitudo, quae inter utraque intercedit, mira esse non possit. at quae de litteraturae diuersitate illa quam modo tetigi iudicau — eane quoque confirmantur hisce uasis? profecto, nam expectantes pro illorum tempore meram ionicam litteraturam non fallimur: ueluti in altero uase legitur *ΗΓΗΣΙΑΣ ΑΡΧΩΝ* et *TΩΝ ΑΘΗΝΗΘΕΝ ΑΘΛΩΝ*⁵¹) et in altero *ΚΗΦΙΣΟΔΩΡΟΜ* (—*ΔΩΡΟΣ* legit Conestabilius⁵²) *ΑΡΧΩΝ* et *TΩΝ ΑΘΗΝΗΘΕΝ ΑΘΛΩΝ*. de duorum quae restant uasorum litteratura cum in C. I. G. nihil relatum sit, certi nihil adfirmare possumus: nihilo tamen minus Conestabilium⁵³), qui rettulit in tribus parisiniis uasis legi *ΤΩΝ ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΩΝ*, ut de amphora Cephisodori nomine inscripta certo errauit, ita etiam de uasis cum Theophrasti et Archippi nominibus non omnino recte rettulisse censemus.

Hac quam instituimus disquisitione ad alias quasdam res ducimur, quas cum quaestione principali arte coniunctas liceat paucis tractare. ut redeamus ad illud clipei insigne Mineruae, in hoc sunt quae aliquo modo nos offendant. primum enim illud

50) cf. O. Jahn, vasensammlung könig Ludwigs p. XXIX, de antiq. Mineruae simul. att. p. 13; C. I. G. IIII 156 nr. 7787 b; A. Mommsen, heortologie p. 125 sq.

51) C. I. G. IIII p. 156.

52) bull. dell' inst. 1861 p. 218.

53) bull. dell' inst. 1861 p. 218: è inutile poi avvertire, che mentre il nome del magistrato è scritto lungo una della colonne, appo l'altra sta la solita phrase *ΤΩΝ ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΩΝ*.

a communi consuetudine, quam in uasis pictis exemplis innumerabilibus stabilitam inuenimus, eo discrepat quod figuris humanis eisque integris clipeus medius insignitus est: hoc alibi rarissimum est. ut unum solum exemplum comparationis caussa adferram, inter quadringenta amplius clipeorum insignia, quae in uasis monacensibus sunt, unum solum reperitur in quo si non hominis, semihominis tamen satyri saltantis species medianam clipei partem ornat. deinde si reliqua uasorum multitudine seposita ad solum uasorum quae uocantur panathenaicorum genus conuertimur, in scuto Mineruae uaria picta uidemus, uelut Gorgonis faciem, Pegasum, sirena, pantheram, lupum, serpentem, pisces, noctuam, alia, semel satyrum saltantem, sed nihil nostrae imagini simile. — In Alcibiadis tamen clipeo scimus fuisse Cupidinem fulmen tenentem ⁵⁴⁾, quod insigne Athenienses mirati sunt ut pote a uulgaribus discrepans. etiam inter clipeos heroum septem contra Thebas pugnantium, quales Aeschylus finxit, sunt qui comparari possint, uelut Capanei ⁵⁵⁾ et Eteocli ⁵⁶⁾ et Polynicis ⁵⁷⁾. — Sed his missis alio progrediamur. num praeterea uasa graeca extant in quibus opera sculpta imitatione expressa sunt? et ita quidem, quod hac in re factum uidemus, ut pictor non tam corporum status et habitus quosdam ex operibus sculpturae celeberrimis mutuaretur ⁵⁸⁾, quam certum quoddam signum sculptum in memoriam contemplantium reuocare uellet. equidem fateor mihi ne unum quidem innotuisse uas quod illi londinensi apte conferri liceret. contra pictura parietis pompeiana ⁵⁹⁾ extat quae uasorum picturarum deficientium uicem hoc loco suppleat. in hac Achillem ab Ulixe inter filias Lycomedis deprehensum uidemus instructum clipeo, cuius in umbone ipse Achilles a Chirone fidibus doctus eodem habitu pictus est quo etiam in aliis artis antiquae operibus idem par magistri senis et discipuli iuuenis nobis repraesentatum est ⁶⁰⁾. quae omnia deriuanda esse uidentur ex opere marmoreo olim celeberrimo, quod Plinius in saeptis iuliis Romae uidit oppositum statuis Panos et Olympi ⁶¹⁾.

54) Plut. Alcib. 16 ἀσπίδος τε διαχρύσου ποίησαν οὐδὲν ἐπίσημον τῶν πατρίων ἔχουσαν, ἀλλ' Ἐρωτα κεραυνοφόρον, Athen. XII p. 534 εἰσὶν ἡρώες τοιοῦτοι πεποιημένην, ἐφ' ἣς ἦν ἐπίσημον ἔρως κεραυνὸν ἡγκυλημένος.

55) cf. Sept. c. Theb. 432 Ἔχει δὲ σῆμα γυμνὸν ἄνδρα πυροφόρου, Φλέγει δὲ λαμπτὰς διὰ χερῶν ὑπλιομένη. Χρυσοῖς δὲ φωνῇ γράμμασιν: πρήσω πόλιν.

56) ib. 466 Ἀνὴρ ὅπλιτης κλίμακος προσαμβάσεις Στείχει, πρὸς ἐχθρῶν πύργον ἐκπέρσαι θέλων κτλ.

57) ib. 643 Διπλοῦν τε σῆμα προσμεμιχανήμενον. Χρυσήλατον γάρ ἄνδρα τευχηστὴν ἵδειν Ἅγει γυνὴ τις σωφρόνως ἡγούμενη. Δίκη δὲ ἦρ' εἶναι φησιν κτλ. de clipeorum insignibus non nulla disputauit Goettlingius, gesammelte abhandlungen II 117.

58) rarissima tantum huius studii uestigia in uasis graecis deprehendi licet. cf. O. Jahn, aus der alterthumswissenschaft p. 217.

59) R. Rochette, choix de peintures de Pompeï pl. 21; Zahn, gemälde und ornamente aus Pompeji II 23 III 25; cf. Helbig, wandgemälde nr. 1297.

60) cf. prae ceteris imago egregia illa pompeiana apud Zahniū III 32. 33 cum O. Jahnii adnotatione; cf. Helbig I. c. nr. 1291; Ouerbeck, gallerie heroischer bildwerke p. 286.

61) Plin. XXXVI 29; cf. Friederichs, bausteine p. 379.

Quamquam autem illud clipei insigne Mineruae singulare est, tamen sat muta adferri possunt quibus illud bene defendatur. nonne scito artificio usus pictor in clipeo Mineruae Athenarum propugnaticis (*Ἀθηναῖς τῆς Πολιάδος*), quam ipsam hostes adgredientem fecit, par illud nobile iuuenum atheniensium pinxit, utpote qui deam imitati pro libertate urbis patriae pugnantes mortem gloriosam obissent? deinde facile intellegitur quam apte in uase Athenis facto statuae hominum atheniensium illorum celeberrimorum eadem fere ratione expressae sint, qua cum in aliis nummis graecis saepe artis opera praeclara excusa reperiuntur, tum in nummis illis quos indicaui atheniensibus ipsae illae statuae Harmodii et Aristogitonis expressae sunt. denique a iuuenibus illis olim solemnibus panathenaicis ipsis eidem urbem ab Hipparcho tyranno liberatam esse, quibus diebus festis uictoribus certaminum publicorum praeter coronam oleagineam oleum in uasis fictilibus, quae inde nomen panathenaicorum acceperunt, pro praemio dabatur — etiam hoc, praesertim cum feriis panathenaicis laudes Harmodii et Aristogitonis publice canerentur⁶²⁾, pictorem adducere potuit ut illud ornementum clipei Mineruae adderet. in sella ea athenensi quam totiens nominaui praeter tyrannicidas et duas alias figurae illis oppositas, quae certo explicari nondum potuerunt, exsculptae sunt duae coronae oleagineae: quae si honorum quorundam panathenaicorum memoriam repraesentauerunt, figurae tyrannicidarum simili modo cum his sunt coniunctae quo in uase teuchirensi panathenaico eadem adparent.

Vidimus picturam amphorae londinensis ad statuas aeneas Harmodii et Aristogitonis olim athenienses referendam esse. at fuerunt talium conplures Athenis, minimum bina paria: alterae Antenoris, alterae aut Critii solius aut Critii et Nesiotae, hae in sedibus illarum a Xerxe anno 480 a. Chr. raptarum ex decreto publico anno 478 repositae. utrae statuae in sella in nummo in amphora expressae sunt? solis his imagunculis magis ad umbratis quam diligenter pictis huic quaestioni satisfieri non potest; sed etiam neapolitanae statuae hac in re parum nos adiuuant. quas etsi certum est generi sculpturae antiquae seueriori, quale circa initia quinti fere ante Christum saeculi floruit, attribuendas esse, tamen nihil inde de quaestione illa disceptanda lucramur. namque cum Antenor statuas suas non diu post annum 510, Critius autem suas anno 478 fecerit, utraque paria paruo temporis spatio discreta manifestum est ex eodem illo genere sculpturae duriore fuisse: neque quisquam, qui quam pauca de antiquiore arte Graecorum sciamus sobrie ac diligenter reputat, operis solius ratione habita statuas neapolitanas alteri utri anno adsignare ausit. quae cum ita sint, exoptatissimum esset, si argumentis extrinsecus alicunde quaesitis res dirimi posset. sed adhuc res non satis bene cessit

62) cf. Philostr. uita Apoll. VII 4. p. 131 28 κ. τὰ Παναθήναια τὰ Ἀττικά, ἔφ' οἷς Ἀρμόδιος τε καὶ Ἀριστογέτων ἔδονται.

uiris doctis, neque Friederichsio⁶³⁾, qui posteriores, ut pote perfectiores, statuas ab imitatoribus effectas esse arbitratuſ ex Critii opere censuit statuas neapolitanas expressas esse: neque Benndorfius⁶⁴⁾ mihi persuasit eas Antenori ideo adsignans quia bobolitanae, quas Critio vindicauit, neapolitanis alioqui simillimae artem paulo liberiorem testentur. haec omnia incerta sunt, nec nos non dubitamus num ipsi magis certa efficere atque cogere possimus hisce ratiocinationibus in usum uocatis. Vas teuchirense quod explicauimus intra annos fere 350—300 factum uideri supra indicauimus. sed quando sella illa exculta, quando nummus ille excusus est? utrumque certo definiri non potest. sed ionica litteratura tituli mutilati qui margini superiori sellae inscriptus est impedit quo minus quarto a. Chr. saeculo illam antiquiorem ducamus. de nummo infra uidebimus. iam cum memoriae traditum sit statuas tyrannicidarum ab Antenore ex aere fusas Atheniensibus intra lustra extrema quarti et prima tertii ante Christum saeculorum ex Asia remissas esse, non nulli uiri docti⁶⁵⁾ censuerunt in memoriam huius illarum statuarum restitutionis effigies tyrannicidarum in nummo illo athenensi additas esse, quae opinio etsi speciosa uideri possit, tamen accuratius inquirenti uix probabitur⁶⁶⁾. et enim triplex de statuis Antenoris Athenas restitutis memoria extat: Valerius Maximus⁶⁷⁾ a Seleuco, Pausanias⁶⁸⁾ ab Antiocho, Plinius⁶⁹⁾ et Arrianus⁷⁰⁾ ab Alexandro Magno eas redditas esse narrant. quis ex quattuor his auctoribus uerum rettulit? si scriptorem eum qui fide et diligentia reliquos in uniuersum longe praestat in hac quoque re singulari uerum narrasse sumere licet, prae Valerio et Pausania Arriano, quocum Plinius consentit, fidem habebimus, praesertim cum Arrianus data opera duobus locis rem commemorauerit. Arrianum igitur si audimus, initio anni 323 a. Chr. Alexander modo ex India reuersus legatis ex Graecia ad se missis praeter alia signa a Xerxe olim rapta effigies Harmodii et Aristogitonis tradidit in Graeciam reportandas⁷¹⁾. cum his bene congruere uidentur quae Valerius Maximus de Antenoris statuarum ueneratione rettulit⁷²⁾ quam Rhodii naue qua illae

63) cf. bausteine p. 34.

64) cf. ann. dell' inst. l. c. p. 322.

65) cf. Beulé, monnaies d'Athènes p. 336; Helbig, ann. dell' inst. arch. 1866 p. 239.

66) cf. etiam Benndorfius l. c. p. 322.

67) II 10 1 ext. p. 109 H.

68) deser. I 8 5.

69) HN XXXIII 70.

70) anab. Alex. III 16 7 et VII 19 2.

71) cf. Arrian. anab. VII 19 παρελθόντι δ' αὐτῷ ἐς Βαθυλῶνα πρεσβεῖαι παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἐνέτυχον ... καὶ τούτους δεξιωσάμενός τε καὶ τὰ εἰκότα τιμήσας ἀποπέμψαι δπίσω λέγεται. δσους δὲ ἀνδριάντας ἡ δσα ἀγάλματα ἡ εἰ δῆ τι ἄλλο ἀνάθημα ἐκ τῆς Ἑλλάδος Σέρενης ἀνεκόμισεν ἐς Βαθυλῶνα ἡ ἐς Πλασαργύδας ἡ ἐς Σοῦσα ἡ δπη ἄλλη τῆς Ἀσίας, ταῦτα δοῦναι ἀγειν τοῖς πρέσβεσι. καὶ τὰς Ἀρμοδίους καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας τὰς χαλκᾶς οὗτω λέγεται ἀπενεγχθῆναι δπίσω ἐς Ἀθήνας.

72) cf. l. c. Rhodii eas (effigies aeneas Harmodii et Aristogitonis) urbi suae adpulsas cum in hospitium publice inuitassent, sacris etiam in puluinaribus conlocauerunt.

Athenas deducebantur ad urbem suam adpulsa instituerent statuas enim, postea quam uiam longissimam a Susis, qua in urbe Xerxes eas statuerat ⁷³⁾, ad Syriae portum quendam itinere terrestri confecerunt ibique in nauem transportatae sunt, Rhodum tum demum aduenisse ueri simile est eum Alexandro Magno mense iunio anni 323 uix mortuo Rhodii macedonicis praesidiis expulsis libertatem reciperassent ⁷⁴⁾: cuius rei gaudio recenti exultantes Rhodii effigies ueterum tyrannicidarum tantis honoribus adfecerunt. iam cum statuae illae post Alexandri mortem Athenas uenirent, facile opinio oriri potuit non ab Alexandro, sed ab eius successoribus statuas redditas esse: indeque quae de Seleuco uel Antiocho tyrannicidarum restitutoribus memoriae tradita sunt explicantur. haec qui uera esse censem, nescio an in sententiam eam inclinet amphoram illam, quam intra annos 350—300 fabricatam esse supra diximus, breui post annum 323 factam et a pictore Antenoris statuarum Athenas nuper remissarum memore imaguncula clipei Mineruae illa ornatam esse. contra nummum cum tyrannicidis amphorae londinensi aetate aliquanto cedentem, cum ex genere sit nummorum quod uix ante initium tertii ante Christum saeculi usurpari coeptum est ⁷⁵⁾ ad Antenoris quidem statuas, sed non ad earum restitutionem pertinuisse uideri.

Videtis, Committones humanissimi, hac quoque in quaestione euenire idem quod in plerisque omnis generis aliis, conici quidem posse multa, sciri tamen paene nihil. quibus in tractandis quo saepius argumentorum infirmitatem fiducia uerborum obscurari obseruamus, eo enixius Vos admoneo ut res ipsas quam accuratissime semper examinetis illius aureolae Epicharmi cantilenae memores, quam Vestrae in litteris rationis quasi quandam formam esse uelim,

νῦνε καὶ μέμνασθαι πιστεῖν. ἔρθρα ταῦτα τὰν φρενῶν.

73) cf. Arrian. l. c. III 16.

74) Diodor. XVIII 8 Ρόδοι ἐκβαλόντες τὴν μαχεδονικὴν φρουρὰν ἡλευθέρωσαν τὴν πόλιν.

75) Beulé, monn. d'Athènes p. 185; Hultsch, metrologie p. 161.

Additamentum ad p. 2, 4: Ex epistula qua Georgius Treuuius petropolitanus eis quae de Cupidinis exemplari petropolitano apud Claracium 646, 1471 delineato interrogaueram humaniter respondit, nuperime cognoui illud exemplum non idem esse quod in museo imperiali petropolitano nr. 342 insignetum (supra R) existit, sed extra Petropolim in aedibus imperialibus pawlowskianis adseruari. hoc igitur exemplis quae supra recensui adnumerandum est, cuius pawlowskiani Cupidinis basim cum trunco et pelle leonina antiquam esse adseuerauit uir ille doctissimus. contra idem dubitat num Cupidinis petropolitani (R) basis cum arboris trunco et claua — nam etiam haec adest — et pelle leonina sit genuina. addens tamen has partes ab partibus certo antiquis uix posse discerni.

